

.lviii. ITEM ALIA DE SANCTA MARIA ET CETERIS VIRGINIBUS .

/131r/ O beata dei genitrix et semper uirgo maria . templum domini .
sacrarius locus spiritus sancti . uirgo ante partum . uirgo post par
tum . presentis solemnitate diei cum suis virginibus expers
esse nullo modo credendum est . Quę carnis pudicitiam
cum uirginitatis honore monebat . intra cordis hospitia
obseruare ; eamque omnium uirtutum reginam
et sóciam esse angelorum suis af-firmabat exemplis ;
Ita . ut innumerabilis utriusque sexus multitudo . eius
sequebatur uestigia . ut relictis nuptiarum copulationi
bus . cęlesti sponso . qui in celis est perenni mente appli
care eligerent . Orationibus instantes . ieuniis adhe
rentes ; uigilias sacras adamantes . elemosinas sectan
tes pauperes recreantes . Nudos uestientes . infir
mos uisitantes . in tribulatione gaudentes . in uerbis
calumniae uel contumeliae patientes . in augmento
suae profectionis humiles ; in dámno rerum tempora
lium deo gratias agentes . Haec et his similia pro desi
derio regni caelestis . per sanctę marię exemplum age
bant . et sic in caritate dei ác proximorum amore perseue
rantes . soli deo uitam finire gaudebant . Hęc omnia
nobis et omnibus fidelibus prestare dignetur saluator
mundi . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat . in secula
seculorum amen .